Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 293
Quelle:
Copyright:

lium integrum cum 9. lineis, primaque nobis verba ſunt: *eſſe potuerunt. audire opus habebant* &c. Turcicae hoc calamitatis veſtigium puta. Pertinuit enim volumen iſtud ad ſplendidiſſimam *Mathiae Corvini* Bibliothecam, ut teſtantur *Inſignia* Regis Operimento exterius impreſſa, et *fol. ult. averſi* nota hujus tenoris: *Liber reductus ex Conſtantinopoli Viennam Menſe Octob. anno Do.* M. D. LVII. *per Reverendum Do. Epiſcopum Quinqueeccleſienſem Do.* Anthonium Vrancium, *Oratorem Regium, qui fuit antea ex Bibilioteca Buden. inuictiſſ. Regis* Mathie *Hungarię. per Turchas ablatus, anno Domini* M. D. XXVI. *profligato Rege Ludouico in Campo Mohachien.* De *Ant.* hoc *Verantio* ſ. *Werantio*, quem Ferdinandus I. an. MDLII. ad Solymannum delegerat, adi *Alex. Horanyi Memoriae Hungaror.* P. III. *Poſon.* 1777. *p.* 495. 8. Ut vero ad Codicem redeamus, hac ille terminatur clauſula: *Honor trinitati. Per me Henricum Amſtelredammis. alias Sença paura. Anno domini.* M°. CCCC°. LXVIII°. itaque biennio ante primam editionem abſolutus. An Calligraphus hic *Henricus* ille *de Amſterdamis* fuerit Theologiae profeſſor, cujus extat *Oratio funebris in Fridericum Victorioſiſs. Bavarie Ducem Argentine* 1488. et iterum 1497. *per Joh. Gruninger* 4. impreſſa, definire non auſim. De integro *Thomae Aq.* in omnes IV. Evangeliſtas Opere egi in *Merkwürdigkeiten der garell. Biblioth. Vindob.* 1780. p. 87. 4.

CIX.

Codex membraneus lat. Sec. 127 nunc VI C
ſaltem X. Folior. nunc 157. f. formae pene quadratae, per duas columnas eleganter et caſtigate ſcriptus, rubroque ſub initia diſtinctus complectitur *Sedulii junioris Scoti Catenam* ſive *Collectanea* ex PP. Sententiis et dictis *in Evangelium S. Matthaei* ἀνέκδοτα. *Sedulium* hunc, Presbyterum, an Epiſcopum? a duobus *Seduliis* antiquioribus, *Poeta* ſcilicet et *Epiſcopo* Sec. IX. Britannico diſtinguendum *Hepidannus S. Galli* Monachus in *Annalibus* brevibus ab *Andr. Quercetano* T. III. *Scriptt. Franc.* et a *Melch. Goldaſto* T. I. *Alaman.* editis ad an. 818. claruiſſe adfirmat. Confer, ſi lubet, *Phil. Labbeum* T. II. *de Scriptt. Eccl.* p. 324. *Oudinum* T. II. p. 26. *Fabricium* v. *Sedulius, Thomae Tanneri Bibl. Brit.* p. 660. Initium Codici eximio dant inſtar προλεγομένων *Excerpta* ex *Auguſtini Indiculo* et *Libro de Conſenſu Evangeliſtarum* in ſeptem velut Capita tributa miniatis hiſce titulis: I. *De Numero Euangeliorum et Euangeliſtarum.* II. *De Ordine Euangeliſtarum.* III. *De eo quod non IIII. Apoſtoli Euangelium conſcripſerunt.* IV. *De Prefiguratione IIII. Euangeliorum et Euangeliſtarum.* V. *De Laude Euangelii, deque ipſius nomine.* VI. *De Perſona et Cauſa, Tempore quoque et Loco*